



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 36. Navarræ Regis, & Condæi Principis oppositio contra hanc
Constitutionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul.XVI.

A.C.1585.

Præterea, ex Consiliariis quidam effutire non erubescerat, quod hæc Constitutio totius Christianæ Reipublicæ bono adeo exitiosa, ac Franciæ Regni auctoritati tantopere injuriosa sit, ut haud dignius haberi mereretur, quam olim quidam Franciæ Rex aliam a quodam Sixti V. Prædecessore ad eum transmissam ejusmodi Bullam exceperat, dum eam in ignem projici, simulque Procuratori Regio injungi iusserat, ut in eos, qui in Curia Romana hanc Constitutionem expediri curarunt, exacte, ac sedulo inquireret, eosque tam severe plecteret, ut horum castigatio omnibus posteris exemplo esset. (*)

§. XXXVI.

Navarræ Regis & Condæi Principis oppositio contra hanc Constitutionem.

*Mem. d'E-
toil. p. 197.
Thuan. l.82.
Mem. de la
Lig. p.388.*

Navarræ Rex adversus hanc Bullam debacchabatur, edito libello, in quo Regi demonstratum ibat, quod ipsius magis quam suarum partium interfit, ne tam insolitos, nulloque pacto ferendos ausus toleret: ut vero suam inde

(*) Hæc, & atrociora a Calvinistis, aliisque Sæctatoribus sparsa fuisse, haud mirum: num autem propterea quicquam auctoritati Pontificiæ a Deo stabilitæ decedit?

inde conceptam indignationem ubique manifestam redderet, suorum amicorum ministerio usus die sexta Novembris Romæ in omnibus compitis, omniumque Cardinalium Palatiis, imo etiam in Vaticani foribus utriusque Principis oppositionem, necnon interpositam a Sixti V. sententia appellationem affigi curabat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1585.

Hoc autem programma his erat conceptum verbis: „Ego Henricus Dei „gratia Navarræ Rex, Bearnix Prin- „ceps, ac primus ex Franciæ Paribus, „& Galliarum Princeps, me Sixti V. „qui se Romanum Pontificem appel- „lat, declarationi, atque excommuni- „cationi oppono, falsamque eam affir- „mans, de illa tanquam contra jus ab- „usive decreta ad Curiam Parium Fran- „ciæ, quorum ego ipse Princeps sum, „appello: quantum vero ad hæresis cri- „men falso per declarationem objectum, „affirmare propugno, quod Dominus „Sixtus se pro Pontifice gerens salva „sanctitate sua falso, & malitiose men- „tiatur, ipseque hæreticus sit, porro id „ego in Concilio libero, ac legitimo „probare me paratum ostendo, in quod „nisi Papa, sicuti per ipsas leges suas „obligatur, consentiat, & sese ei sub- „mittat, ipsum pro Antichristo, & Se- „ctario reputo, eique hoc nomine per-

Hist. Ecclesiast. Tom. L. X petuum

Sæcul. XVI.

A.C. 1585.

„petuum, & irreconciliabile bellum in-
 „dico: interim de actu quasi nullo pro-
 „testor, salvo jure meo, tam contra
 „ipsum, quam Successores ejus, ut
 „mihi de tanta injuria meo, regioque
 „Franciæ nomini illata idonee satis-
 „fiat, prout id rei summa, præsens-
 „que necessitas exigit: porro cum mei
 „decessores Reges hujusmodi nebulo-
 „num, qualis hic Sixtus ementitus Pon-
 „tifex est, quoties muneris obliti, &
 „jura humana cum divinis confunden-
 „tes legitimæ potentæ limites egressi
 „sunt, temeritatem digna castigatione
 „ulti sunt, etiam ego nihilo majoribus
 „meis inferior spero, quod Deo ad-
 „juvante, injuriam familiæ regiæ, ac
 „sanguini meo, Regni que Curiis fa-
 „ctam contra ipsum, ac successores ejus
 „pari pœna vindicaturus sim: ad hoc
 „autem omnium Regum, ac Princi-
 „pum, Rerumpublicarum, ac civita-
 „tum, ad quas exemplum tantæ inju-
 „riæ pertinet, opem, & auxilium im-
 „ploro, rogoque omnes Principes, Re-
 „ges, urbes, & communitates vere
 „Christianas, cunctosque Franciæ co-
 „ronæ amicos, ac fœderatos, ut me-
 „cum contra tyrannidem, & usurpa-
 „tionem Pontificis, ac conjuratorum
 „nuper in Regno exortorum, tanquam
 „Dei, Regni, Regisque, ac publicæ or-
 „bis

„bis Christiani quietis hostium vires
„conjungant.

Sæcul. XVI,
A.C. 1585.

Ita testor Henricus Borbonius Con-
dæus Princeps: affixum Romæ die
sexta Novembris anno millesimo quin-
gentesimo octogesimo quinto.

§. XXXVII.

*Hæreticorum scripta contra Papæ
Constitutionem.*

Hæc provocatio, quæ sane indignis
conscripta erat verbis, Papam haud
parum affligebat, obstupescens cun-
ctis, quod in romanam urbem adeo
temerarii irreperint Viri, qui tam pro-
pudiosum programma affigere præsum-
pserint: postquam vero Papa sedula,
frustranea tamen solertia in hujus pro-
tervi facinoris Auctores inquire jusse-
rat, cuncta hujus scripti exempla sup-
primi curabat, nec tamen præpediri
poterat, quin ex Galliis innumera pe-
ne mordacia scripta adversus hanc Con-
stitutionem ad romanam urbem defer-
rentur, atque utriusque Religionis Viri,
qui Regum bona nullatenus Pontificum
jurisdictioni obnoxia censebant, hanc
Bullam irritam esse declararent: ex
hisce vero satyris prima in Italia, at-
que ad Italos directa prodiit, atque a
quodam nobili Gallo, quem Franci-
scum Perrotum fuisse dicunt, compo-
sita.

Thuan. &
Mem. l. c.
Brutum ful-
men Sixti V.
advers. Reg.
Nav. ann.
1586.